



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, De Oratione  
Mentali Et Mysteriorvm Vitae D.N. Iesv Christi &  
benedictae Matris eius meditatione**

**Arias, Francisco**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48934](#)



## AD LECTOREM.



Vm in tractatu tertio  
exposuerimus, quanti  
referat, quamque pre-  
tiosum sit, in sancto il-  
lo mysteriorum IESV

Christi, per considerationis & ora-  
tionis mentalis modum, rosario se  
exercere, quantaque hæcce conside-  
ratio secum trahat bona: in quarto  
verò, pro ingenij imbecillitate, Bea-  
tissimæ Virginis, quæ in hisce my-  
sterijs eluent, virtutes prosecuti si-  
mus, & quanam illam in re imitari  
potissimum oporteat, in quo simul  
ad meditandum & fructum è medi-  
tatione colligendum, ipsum inquam  
virtutum tum exercitium, tum per-  
fectionem, materiam suggestimus;  
visum est, ad eorum, qui præstant if-  
simum & utilissimum hunc modum  
exercere volunt, commodum com-  
pendiumque, breuem aliquam me-  
thodum iam præscribere, quæ cer-  
to quodam ordine & perspicuitate,  
quæ in hoc meditandi exercitio po-

(?) 2 tissi-

## P R A E F A T I O.

tissimum seruanda sunt capita, proponat; & quæ ad meditationem in generali spectant, ad sanctum hoc de vita & passione Domini nostri Iesu Christi meditandi exercitium in particulari adaptare: simul etiam aliqua monita consiliaque suggere-re, quibus, qui sancto huic exercitio vacare voluerint, non mediocriter iuuari ac dirigi queant. Notandum itaque, tum quoad hanc materiam, tum alias, dupliciter quid posse ad bonam vitam bonosque mores dici

D. Thom. necessarium. Primò quidem, quod  
2. 2. q. 2. hoc expressè diuino humanoque  
*articul.* præcepto præscriptum sit; quale est,  
4. p. q. 1. ipsum amare Deum, in vanum non  
*art. 2. q.* iurare, & reliqua quæ decalogi Ec-  
46. art. 1. clesiæve præceptis præscribuntur.  
Dicitur deinde quid ad vitam bo-  
nam bonosque mores necessarium,  
etsi aliquo id præcepto apertè man-  
datum non sit, quod medium sit, sine  
quo ut plurimum, quod præcepto  
iubetur, aut saltē rarissimè, sum-  
maque cum difficultate, compleri  
nequit. Hoc sensu dicimus, necessa-  
rium

P R A E F A T I O.

rium esse, ut Christianus asperitatis-  
bus, mortificationibus que discipli-  
narum, ciliorum, vel ieunij, alijs-  
que laboribus ac pœnis corporali-  
bus in carnem animaduertat: quod  
medium illa sint, sine quo plerum-  
que castitatis præceptum seruari nō  
possit. Item iurandi, dictaque sua  
ordinarie, tametsi vera, nonnisi per-  
sic est, vel, verè, vel, ita sanè se res ha-  
bet, assertione confirmandi consue-  
tudinem penitus deserere; nam, mo-  
raliter loquendo, sine hac cautione  
præceptum de non in vanum iuran-  
do seruari non poterit. Ita etiam di-  
cimus, ad perseverantiam necesse  
esse, Sacra mentis frequentare, & mi-  
nutim delicta confiteri; sine hoc e-  
nim auxilio, (quod maxima sit ho-  
minum imbecillitas, & summa ani-  
mæ hostium potentia) diu se quis in  
gratiæ statu bene conseruare, neu  
tentationibus insurgentibus resistere  
poterit. Eodem etiam sensu dici-  
mus necessarium esse aliquoties ho-  
minem diuina contemplari, nam  
alioquin, quod passionibus plenus,

(?) 3            ordi-

P R A E F A T I O.

ordinariè loquendo, non poterit in  
cœpto bono diu perseuerare, quia  
nimius erga terrena amor & affe-  
ctus in grauia eum peccata pertra-  
hant. Hoc modo dicimus, & quidem  
verè, multa esse ad seruendum Deo  
eiusque cultum necessaria, tametsi  
speciatim ac singillatim nullum de  
ijs præceptum sit latum. præsertim  
autem in hac orationis materia,  
hocce dicere possumus, ut maiori  
cum pondere, quam persua-  
dere conamur, veri-  
tas intelliga-  
tur.



INDEX